

Quæ potentia nulla alia est, quàm potentia
materiæ five ipsa materia. Necesse ergò est,
potentiam materiæ five ipsam materiam esse
singularem, antequam respiciat hanc quanti-
tatem. Debet enim esse singularis, ut respi-
ciat hanc formam, aliàs non quilibet actus
præexigeret potentiam singularem. Quo-
niam igitur respicit hanc formam, antequam
respiciat hanc quantitatem, sequitur, quod sit
singularis, antequam respiciat hanc Quanti-
tatem.

§. 19. Nec est, ut dicant, hinc intelligi
materiam actu quantitate affectam. Quod
falsum est; Nam Ens per accidens non potest
esse principium intrinsecum substantiæ, vel
individui substantialis, sed materia, ut est
quanta, est ens per accidens. Ergò materia,
ut est quanta, non potest esse principium in-
trinsecum Individuationis. Major exinde
clara est, quia nullum, quod in se intrinsecè
includit accidens, potest esse principium in-
trinsecum substantiæ. Ergò nec id, quod in-
trin-